



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. Quid, & quotuplex sit iudicium?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

LIBER SECUNDUS  
DECRETALIUM.  
TITULUS I.  
DE IUDICIIS.

S E C T I O I.

*De Iudiciis in Genere, & Personis,  
qua stare possunt in iudicio.*

§. I.

*Quid, & Quotuplex sit Iudicium?*

**I**udicium est legitima rei controversiæ apud Iudicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, & dijudicatio, litis finiendæ gratiâ: ad quod tres, principales personæ ordinariè requiruntur, Iudex, Actor, & Reus *Cap. Forus 10. §. In omni de P. S.* Iudex est persona, quæ publicâ auctoritate iudicio præest, ab eo, quod jus dicat, sive rem controversam secundum juris præscriptum definiat, Iudex appellatus. Iuxta *cit. Cap. Forus.* Actor ab agendo dicitur, estque is, qui actionem proponit, & prior ad iudicium provocat. *L. in tribus 13. & L. qui 29. ff. b. tit.* ac in actionibus criminalibus accusator dicitur, Reus denique est, qui ab Actore provocatur, seu in jus vocatur, ita dicitur non à reatu semper, sed à re, de qua disceptatur, & est controversia, ut apparet ex *cit. Cap. Forus junctâ Glossa V. Reus* Sicuti autem Actoris vicem supplere non-

nunquam potest Magistratus, si procedat per formam inquisitionis v. g. ob famam præcedentem, ita Reus de præsentibus non debet semper esse certus. Interveniunt autem plerumque etiam alix personæ in iudicio, quæ tamen minus principales, & accessorie tantum ad principales se habent, quales sunt Assessores, Consiliares, Notarii, Advocati Testes &c. Variæ sunt Iudiciorum divisiones. Prima determinatur ex diversitate judicantium, ita ut illud, cui præest Iudex ecclesiasticus, Iudicium ecclesiasticum dicatur, & cui præest Iudex sæcularis, Iudicium sæculare. Illud subdividitur in spirituale & temporale; spirituale est, quando lis de re aliqua spirituali aut spirituali annexa est, de matrimonio v. g. decimis beneficiis &c. Temporale est, quando lis movetur de re temporalis & profana, de fundo v. g. pecunia &c. Inter personas tamen ecclesiasticas,

Secunda divisio desumitur ex diversitate materiæ, juxta quam diversitatem aliud est iudicium petitorium, in quo movetur quæstio de proprietate rei, seu dominio, aut quasi dominio, aut jure, ad quem ea pertineant; Aliud est iudicium possessorium, in quo movetur quæstio de

de possessione rei, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda.

Tertia divisio ex diversa forma, quæ in Iudicio adhibetur, aut juxta quam proceditur, desumitur; & hinc aliud iudicium plenarium, ordinarium, & solemne dicitur, in quo scilicet omnes juris solemnitates ad iudicium spectantes, & de Iure requisitæ, adhibentur, Citatio v.g. Libelli oblatio, Litis contestatio, Juramentum Calumniæ &c. aliud est summarium sive extraordinarium, in quo non tam ad formam juris solemnem, & sæpius accidentaliter tantum ad causam decidendam requisitam, attenditur, quàm ad essentialia & substantialia iudicii, sine strepitu quidem, ac forma solemni iudicii, sed inspectâ solâ rei veritate proceditur.

Quarta denique Divisio (ut omitram alias vel merè Civiles aut aliàs faciles) desumitur ex diversitate Finis, quem iudicium tale intendit; sic dicitur aliud Civile, in quo de causa Civili agitur, mutuo v.g. emptione, aut ex alio contractu civili &c. aliud dicitur Criminale, in quo de delictis agitur, de furto v.g. homicidio, sacrilegio, hæresi &c. & si agitur ad publicam vindictam, ad pœnam corporalem v.g. aut pecuniariam fisco applicandam, dicitur criminale iudicium criminaliter agi; Si verò agatur ad pœnam privato applicandam, sive ad interesse privatum, dicitur criminale iudicium civiliter tractari; ita tamen, ut quod participat de utroque, mixtum iudicium dicatur, quin imò sæpius duplex actio pœnalis injuriam passo competit, Civilis una, quæ tendit ad pœnam Actori applicandam; altera criminalis, quæ tendit ad publicam vindictam, ac optio datur injuriam passo,

quam velit actionem instituere, ita tamen ut unâ earum electâ, altera ipso jure tollatur (cùm utraque pœnalis sit) nisi sit re tantum persecutoria, quæ per nullam actionem merè pœnalem tollitur.

## §. II.

*Quinam in Iudicio agere, vel conveniri possint, vel non possint?*

Ut personam legitimam standi in Iudicio habent, ij agere, & conveniri possunt, in genere loquendo. In specie verò primò certum est, quòd pupillus sine Tutoris auctoritate nec agere, nec conveniri in iudicio possit. Secundò certum est de jure communi, quòd minor 25. annis legitimam personam standi in iudicio non habeat, nisi ei Curator, saltem ad litem, datus sit (ob iudicium scilicet nondum ad lites, satis maturum) nisi minor talis, qui vigesimum tamen annum jam implevit, veniam ætatis impetraverit, agendi in Iudicio etiam sine Curatore; aut si 14. annum implevit, & agat, vel conveniatur in causis beneficialibus, aut aliis spiritualibus, vel his annexis *Cap. Si annum 3. h. tit. in 6.* (quamvis impuberes neque in his causis sine Tutore agere possint, puberes tamen in hujus modi causis censentur esse majores) aut agat tantum minor 25. annis in possessorio, de recuperanda vel obtinenda possessione *L. fin. junct. Gloss. V. per quemcunque Cod. qui legit. person. standi &c.* De filio familias, quamvis major sit 25. annis, quòd suo nomine & in causa propria, etiam quoad bona adventitia (sive Pater usum fructum in illis habeat, sive non) regulariter & ordinariè in iudicio agere, aut respondere sine assensu parentis nò possit, constat ex *L. ult. Cod.*